



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris
succinctim complectens**

Klinge, Konrad

Coloniae, 1570

VD16 K 1309

2. Quàm graue peccatum sit.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29452

bia & luxus mundi. Gregor. Nemo, dum solus est, curat preciositatem & cæt. Displicet igitur Deo tanta pompa vestimentorum. Vndè proditum est in hislorijs, quòd primus qui utebatur veste purpurea inter Romanos, fulmine est percussus. Sic diues epulo qui damnabatur, dicitur purpura fuisse vestitus. Apost. 1. ad Tim. 2. Mulieres (s. Christianæ) in habitu & ornatu honesto, nō meretricio, incedere, & cum verecundia & sobrietate se ornare debēt & c. Item Bernardus ad Henric. Episc. epist. 42. de luxu & superbo vestitu sacerdotū inquit: Cernitur in sacerdotibus quibusdā vestium cultus plurimus, nullus autē virtutis, fidei, charitatis, tēperantiæ, timoris Dei & c. At inquirunt: quid monachi iudicant Episcopos & sacerdotes & c. Resp. Paul. 1. ad Tim. 2. clamat, Non in veste preciosa, Si inferioribus (id est, mulieribus) prohibetur, quantum magis superioribus? Claudere, inquit, vis mihi os, ne loquar, quando oculi apertè vident tuā superbiam & avaritiam, aures audiūt tuam luxuriā? etiamsi ego tacuero, clamant turbæ pauperū: quid annuli in manibus? quid scyphi argentei in mensa? quid varietas vestimentorum? quid sumptuosa ædificia domorum? quid multitudo seruatorum? ut intereā taceam de apertis meretricibus, nunquid hæc omnia expellunt nostram esuriem, tegunt nostrā nuditatem? nostri enim estis raptores & c. Duo ergò mala ex vestra pompa veniunt: nostra spoliatio, & vestra dānatio clamat conscientia vestra, etiā me tacente, quia hæc Ecclesiæ bona quibus impinguati estis, non manuū labore neque iure hæreditario, sed de pane Christi possidetis, qui vos iussit pauperum habere curam. Licebat cuique iuxta statum & conditionem suam honesto uti habitu, sed vana curiositas in spiritualibus & sæcularibus est arguenda, dum inferiores se adæquant superioribus. Ad quid tot scissuræ, tot colorum varietates, ac modi vestimentorum? Non erunt sine peccato &

qui

qui faciunt ea, & qui deferunt. Gerson parte 4. in sermone de reddendo debitum: Hoc peccatum maximè omnis prædicator debet corrigere, & nunquam cessare, quia nunquam sufficienter potest argui, nempe ornatum & superbiam vestimentorum & maximè mulierum, est enim Eua naturaliter superba, Genes. tertio. atque ideò rectè faciunt magistratus qui legem ponunt inter status de ornatu vestimentorum. Sed cui similis est mulieris ornatu, nisi sepulchro dealbato, Matthæi 23. feretro, in quo iacet anima mortua & cæt. ideò Deus signanter dixit homini, ne superbiret, Genes. tertio. Memento quod pulvis es. Postremò, quomodò Deus punierit huiusmodi vanum ornatum, patet multis exemplis scripturæ. Iezabel depinxit oculos suos stibio, & ornauit caput suum, audito aduentu Iehu: sed deicitur, & pedibus equorum conculcatur, & à canibus dilaceratur, 4. Regum 9. Herodes statuto die venit vestitus veste regia, & sedit pro tribunali, & concionabatur ad populum, & populus acclamabat Dei vocem esse, & non hominis: confestim percussit eum Angelus Domini, & cæt. Actorum 12. Esai 3. dicitur hoc peccatum fuisse punitum destructione Hierosolymæ, Et erit, inquit, pro cingulo argenteo restis, pro ornatu capitis caluitium & dolor, pro annulis & catenis vlcera & pustulæ, pro odore fætor, pro pulchritudine cinis, pro speculo fletus oculorum & rubedo, pro stibio cutis pendula & cæt.

Vndè veniat quòd mulieres præcipuè sunt supbæ

CAPVT IX

ARGVMENTA.

1. *De peccato auaritia, & quid sit.*
2. *Quæ mala sequantur ex auaritia.*
3. *Quam miserè pereant & puniantur auari.*

L L 5

Apo-